

Dissertatio inauguralis medica, de morum et remediorum nexu ... / [Johann Ehrenfried Hohorst].

Contributors

Hohorst, Johann Ehrenfried.
Alberti, Michael, 1682-1757.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeb : Typis Joh. Christiani Hendelii, [1728]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bvvbpajs>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

16
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE

MORUM ET REME- DIORUM NEXU,

QUAM AUSPICE DEO PROPITIO
Et Consensu atque Auctoritate Gratiſſe Facultatis Medicæ
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R Æ S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI,
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO,
MEDIC. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

Summisque in Medicina Honoribus & Privilegiis Doctoralibus legitime impetrandis,

HORIS LOCOQUE CONSVETIS, ANNO MDCCXXVIII. D. JUN.

PUBLICAE AC PLACIDAE ERUDITORUM VENTILATIONI SUBIICIET

R E S P O N D E N S

JOHANNES EHRENFRIEDIUS HOHORSTIUS,
DRESD. MISNICUS.





PROOEMIUM.



SI secundum communem sententiam anima hominis essentialiter per totum corpus extensa est, certe haud otiosa, aut speculativa, sed negotiosa & activa, ad minimum in aptis partibus sensitiva existit: Sensatio vero est rationalis perceptio discrepantis alterationis atque contactus, quo diversa subjecta corpus afficiunt; inde etiam manifestum est, animam, utpote spiritum, agere in corpus, imprimis nerveas hujus fibras: hæc operatio vero ita contingit & succedit, ut ipsa anima de modo operandi non diffusas & figuratas instituat meditationes, reflexiones, cogitationes & deliberationes; Et dum eadem anima principium sentiens est, non pro lubitu, nutu, arbitrio & libera imaginatione modo hunc, modo alium gradum sensationis exercet, ita ut propterea infirma sit oblocutio, quod anima haud Sensus in corpore administret,

stret, quia non pro voluntate sentire, neque sensum dolorum in sensum suavitatis invertere, aut de dolorifico sensu jucundas ideas formare potest; ejusdem tenoris & dignitatis est analoga dubitatio, qua quidam acerrime animæ commercium cum corpore abnegant, quasi illa pro lubitu variis motuum gradibus diversa organa corporis afficere haud queat: ac si hæc adfertio principium, fundamentum & regula demonstrationis & indubiæ veritatis esset, quod anima pro arbitrio & voluntate corpus movere deberet, si vera esset sententia, quod ipsa in corpus agere & cum hoc commercium habere posset: hinc per instantiam excipere quisquam posset, quod loquela dormientium, actio periculosa & perniciosa sub calore iræ, consuetudinalis certarum vocum enuntiatio, aut membrorum corporis agitatio, risus sub somno, pravæ cogitationes, deliria &c. non sint actiones animæ, quia ipsa volente non procedunt: haud itaque adeo frivole & præjudiciose animæ jus in corpus suum denegari potest, cum ipse Benignissimus Creator intima communione animam corpori conjunxit, quam copulam nihilominus frivoli quidam & ultra modum speculativi sapientes refellere, negare aliumque cerebrinum ac imaginarium ordinem & processum motuum obtrudere haud verentur: habet itaque anima non modo diversam relationem, respectum, ordinem & æstimationem in motibus corpori inferendis, sed eo ipso etiam eximiam communionem cum corpore: hinc inter alios *Isidorus Pelusiota*, Chrysostomi discipulus *lib. 4. epist.*

epist. 124. eloquitur : Communio ac Societas quadam ineffabilis est anima incorporea, cum corpore & vix exprimenda consensio atque affectio mutua inter immortalem substantiam & mortale instrumentum : neque pauci sunt, qui firma veritate confitentur, corpus animæ instrumentum esse, unde etiam corporis integritatem & naturalem salutem ab anima derivare solent, uti Plato de Republ. Lib. 3. exprimit : Mibi quidem non videtur bene affectum corpus vi sua bonum animum facere, sed contra bene affectus animus vi sua, corpus, quoad fieri potest, optimum reddere : neque quidem quemquam a cognitione veritatis deterrere & detinere debet, quod anima singulas internas operationes non secundum liberam voluntatem perficiat, cum partim per insomnia varios phantasiæ lusus, citra præviam arbitriam deliberationem committat, neque partim absolutæ veritatis illa est enunciatio, quia anima voluntatis facultate, memoria, ingenio &c. prædita est, ergo has operationes indiscriminatim & in omni occupatione & occasione exercere & applicare debet : Sufficit animam in hac vita naturali secundum divinum institutum amplissimum & arctissimum commercium habere cum subjectis materialibus; hinc almus Creator corpus humanum talibus instruxit instrumentis, in quæ res corporeæ activa alteratione influere & per quæ rerum corporearum præsentiam & qualitates, imo relationes ad corpus humanum anima advertere potest : prout itaque dehinc anima tales substantias materiales æstimat, ita eadem hæc citius, attentius, operosius & subtilius percipit, vel mi-

nus: Si enim anima in corpore humano sentiens est, ita per certa instrumenta observat, quæ vel proximius cum humoribus conveniunt, vel remotius corpori superveniunt: hinc eadem anima in corpore percipit, quicquid physica actione partes sensiles offendit: sic v. g. ventriculus & intestina sunt partes valde sensibiles; ipsæ vero partes non sentiunt, sed anima in & cum hisce partibus sentit, quicquid animæ in iisdem utile aut inutile, gratum aut adversum, salubre aut funestum est, nam in affectiones nude physico-mechanicas non cadit Sensus: Interea *ad omnia, quæcunque agunt homines, utile est corpus*, dixit Xenophon III. *memorabil.* ob id etiam oportet curam habere corporis, propter harmoniam animæ, monente Platone l. c. nam Carnes vacue mente, statua sunt fori, secundum Euripidem *Electr.* v. 387. & qui animam a corpore in rebus scientificis separat, est *as tinniens & ridicula machina*, judicante Schellhammero in *vindictis Naturæ*: Neque etiam anima cum subjectis & objectis tantum crudis & crassis commercium habet, sed & cum subtilioribus spirituosiss: quapropter Medici, qui Spirituum animalium existentiam defendunt, animæ communionem cum ejusmodi entibus imaginariis & fictitiis concedunt & deprædicant: hoc si verum esset, eo majori jure atq; firmitate concludere possumus, quod anima cum subtilioribus materialibus effluviis, undecunq; hæc provenerint, sive ab elementis, sive alimentis ac potulentis & culina & cella, sive medicamentis & officina pharmaceutica consentiat: & hic posterior consensus & nexus per rationem & observationem demonstrativus est, prior vero cum Spi-
riti-

ritibus animalibus tantum credi debet, aut ex variis falsis suppositis & paralogismis proponitur ac obtruditur: Inter alios nexus animæ cum rebus corporeis, vitam & sanitatem concernentibus, magni utique momenti est, qui inter sensum animæ & alimenta ac medicamenta cedit: etenim tactu aut contactu, in organo gustus, alimenta anima percipit & dein diversimode æstimat: nervi vero qui ad perceptionem instrumentaliter requiruntur, non modo in organis sic dictis sensoriis reperiuntur, sed per universum corpus distribuuntur, ergo anima interne & externe sentit, dum in & externæ nervosæ partes multifariæ contactui & alterationi sunt subjectæ; quamobrem nexus, qui animam inter atque remedia cedit, in foro etiam medico annotandus & ad reales usus applicandus est: hoc thema in genere quadantenus *D. D. Praeses in Praefat. tractat. de medicamentorum modo operandi in corpore vivo sub titulo commercii animæ incorporeæ cum remediis corporeis & incidenter in disp. de Morum & morborum consensu tetigit*, hac occasione & præsentī Inaugurali dissertatione **MORUM ET REMEDIORUM NEXUM** ex instituto cum Deo proponere & commendare suscepimus. Adjuvet Propitius **DEUS** ut nostri conatus prospere succedant.

§. I.

Nervum tituli præsentis tractationis in primo accessu advertentibus & indicantibus, mox communis illa dubitatio in mentem venit, quid videlicet commercii inter mores & humores, inter animum & corpus, inter causam immaterialem aut spirituales
&

& subjecta ac instrumenta *corporea* & *materialia*, velut inter alia, *medicamenta* sunt, intercedere queat: ast ne hunc lapidem offensionis *denuo* moveamus, cum *toties* hoc problema resolutum sit, mox significabimus, quid *thema* hujus disquisitionis contineat: Differendum itaque nobis erit de *Consensu animæ rationalis*, spiritualis, *immaterialis*, præcipue quoad suos *mores*, deinde quoad diversos *affectus patheticos*, nec non quoad *peculiares sensitivas* qualitates in *Sympathia*, *Antipathia*, *Idiosyncrasia*, *speciali* quadam *æstimatione*, aut *aversatione* &c. cum *medicamentis materialibus* aut corporeis, sive ab *extra* applicatis, sive *intrinsecus* assumptis & adhibitis, aut in bono & *salutari* processu, successu, effectu & eventu, aut in *sinistro* statu, ubi interdum *quædam* medicamina ob talem consensionem *uni* profunt, *alteri* vero *obsunt*, ut propterea quidam medici anxie in *contrarios* tales effectus inquirent: & dum vulgo in foro medico desideratur, quo medicamentorum *modus operandi* cognitus esse debeat, ita hæc meditatio admodum hanc cognitionem *illustrat*, confirmat & adauget: Et hæc consideratio dum circa *animam*, utpote *Spiritum* versatur, ita non *crassis*, palpabilibus, crudis & visibilibus respectibus obnoxia est, dum Spiritualia etiam spiritualiter dijudicari debent: neque tamen propterea causarum *physicarum*, *mechanicarum*, *chymicarum*, *anatomicarum* &c. valorem, usum & utilitatem in Medicina *rationali* contemnimus aut rejicimus, siquidem sub hoc consensu *animæ* cum *remediis* prædictæ tamen causæ in *justo ordine*, *subordinatione* videlicet & *rationali* nexu commode & congrue applicari possunt: Neque porro in præsentī tractatione *mores* ab *animo* & *anima* separamus, sed illos tanquam *specialem* qualitatem & habitum *effectivum* animæ advertimus, qui proxime in certas *alias* operationes mentis tendunt abeuntque quibus, quædam subjecta aut *æstimationis* aut *aversationis* affectu, vel *intellectu*aliter

liter & theoretice, vel voluntarie & practice tractantur & nunc ad vere aut apparenter bonum, nunc ad malum scopum diriguntur: Hanc generalem considerationem morum in præsentī deductione præmittimus, insuperque indicamus, quod plurimas harum qualitatum anima in œconomia vitæ naturalis exercere soleat: interim in vitali processu anima hominis haud in tantos abominabiles ruit excessus, ut proprie, directe & voluntarie corporis sui perniciem ac interitum prosequatur, uti in negotiis eminenter, aut nude moralibus aliquoties deperditi homines deliberato studio mortem aut damnum sibi accersunt, quod inde ex parte pendere solet, dum in officina vitalium functionum anima rationalis pro libero nutu & arbitrio voluntario operari haud potest, sed aliam operandi normam & œconomiam observare solet, dum vicissim in nude moralibus negotiis liberum homini a DEO concessum est arbitrium, quod propterea varii in tam enormi errore pessime exercere solent, quam ob rem eadem anima in vitali officio, aut operibus vitam naturalem concernentibus, sub specie salutaris respectus & destinationis, multiplices male etiam decurrentes errores, committere solet: Remedia quod concernit, quorum in hoc themate nuda notione nominali aut prima, mentio injicitur, tunc illa non hujus fori primario sunt moralia, qualium in Therapia morali & imaginaria, nec non in disp. de Phantasiæ usu, lusu & abusu in medicina mentionem fecit D. D. Præses, quæ per se & sua natura ut plurimum proximum & evidentem nexum habent cum anima; sed potius sermo hoc loco nobis est, de medicamentis materialibus, de quibus in genere & brevi ac rotunda assertione declaramus, quod & corpus & per corpus animam afficiant, adeoque cum hac nexum fonticum ac frequentem, sæpe eminentem & consideratu dignum, aliquando plane evidentem servant.

§. II.

Morum *nexus* cum corpore humano & œconomia vitali *multiplex* est, cujus propterea prudens medicus æque *sedulam* attentionem & recordationem inire debet, ac reliquarum causarum: hinc ipsi strenui ac *rigorosi* Zelotes mechanici, quando aliquo tempore *tractabiliores* sunt, hujus etiam nexus *non omnimode* obliviscuntur; dum vero præsentî themate nexus *morum & remediorum* reminiscimur, placet adhuc *generali* quadam annotatione & repetitione *multiplicis* illius nexus morum cum corpore mentionem injicere: Magni itaque momenti nexus est *morum* cum *motu sanguinis* tam *universali*, quam *particulari*: illum quod attinet, eximium specimen obtingit in disquisitione *Temperamentorum*: hinc Galenus in *Lib. quod mores animi sequantur temperamentum corporis* suo jam tempore hunc nexum inculcavit & *Illustr. D. D. Stablius* in *Physiologia* sua & *disput. de Temperamentis*, seorsim vero in *dissert. de fundamento moralitatis in sanguine*, de *Temperamenti mutatione*, de *malò hypochondriaco hysterico* & passim alibi, nec non *Dn. D. Præses* in doctrina de *Temperamentis* & multis aliis locis & occasionibus, eundem nexum satis differte & solide demonstrarunt & confirmarunt: *particularis* nexus *morum* cum *motu sanguinis* occurrens ferme *quotidianus* est, hinc *qualis animus, talis vita, talis sanitas, talis motus sanguinis*: si mores sunt *moderati*, placidi, compositi, tranquilli, regulares, tunc *similibus* qualitatibus præditus est *progressus* sanguinis & vice versa: & quid mores *valeant* in afficiendis, offendendis, corrigendis, promovendis, facilitandis *se & excretoriis* functionibus, nec non *nutritionis* successibus, quotidiana docet observatio: propterea homines in reliquis communibus suis actionibus, flexiles, tractabiles, *morigeri*, expediti, prompti, proni, liberi, similes prædictarum functionum progressus experiuntur, siquidem alii, quorum

mores

mores sunt *morosi*, tenaces, refractarii, intemperati, confusi, inconstantes &c. pariles subeunt illarum functionum successus: ita ut plurimum evenit, ut homines, qui sub *alimentorum* ingestione multis *seriosis* & operosis *mentalibus* & *moralibus* actionibus occupati sunt, aut qui mox post ciborum assumptionem ad *arduas* & *laboriosas morales* pensitationes revertuntur, aut qui cum *fastidio* & *invidia* victum capiunt, non modo *difficulter concoquant*, sed & *egre egerant* & raro ad firmitatem & *pinguescentiam* corporis perveniant; qualia exempla in *communi* hominum vita *numerosissima* occurrunt: eminens insuper nexus morum cum corpore occurrit in *hereditaria dispositione* in foro medico annotanda, quando certi *morbi* in *parentibus* ex specialibus moribus, animi præcipitantis, inconstantis, impatientis, vehementis, morosi, refractarii, pertinacis, vel in defectus vel in excessus proni &c. orti, transferuntur & *propagantur* in *infantes*, in quibus *iidem mores*, *iidemque morbi præmatura* invasione observantur, in quibus morbis durum & rude erit iudicium, si ad *materialis* contagii aut *specifici* morboſi seminii communicationem provocare quisquam vellet, dum *prima* talium morborum origo a *moribus* parentum perversis pendet: proinde nexus talis *morum* cum *corpore* in illa observatione contingit, quando quisquam cibum, aut *esculentum* quoddam subiectum, aut *medicamentum*, quale *antea* cum *euphoria* & tranquillo animo ingessit, *posthac* summa cum *aversione* & nausea, aut *morosa repugnantia* & *abstinentia* assumsit & in futurum post *novam* huiusmodi subiecti *ingestionem* eximias *cardialgias*, dolores, morsus, inflationes, torsiones ventriculi & intestinorum, palpitationem cordis, sudorem frigidum anxium, capitis dolores, vertiginosas perturbationes, conatus vomendi &c. experitur, quæ afflictiones non maturius *cedunt*, quam si tale subiectum iterum per *vomitum*, aut *alvi fluxum* expulsum

fuerit: Similis *consensus* obtingit in *Idiosyncrasia*, nec non quando homines quidam ex *morosa* reluctantia cibum aut potum quendam ingerere *renuunt*, unde varias corporis passiones subeunt, licet coeteroquin cibus aut potus ille huic subiecto nocivus *haud* fuerit: Simile quid contingit, quando tenaces & avari *melancholici* cum summa *morositate* & aversione pro avertenda ignominia res *cibarias* suis opibus aut pecunia comparare debent, quas ipsi summo cum *tædio* consumere adjuvant, interea cum magna mæstitia *expensarum* reminiscuntur, insuperque meditantur, quod hæc suas opes hospites *peregrini* consumant, velut in nuptiis & conviviis institutis, tunc ab ingestione talium ciborum magnas & multas patiuntur afflictiones morbidas, hinc per obtrectationem quandam de talibus fordidis avaris dici solet, es kneipe sie nicht leichter etwas in Leib, als was sie vor ihr eigenen Geld bezahlt, genießen: *alius nexus* morum cum corpore observatur in *morbis* multiplicibus, quem peculiari dissertatione exposuit D. D. *Præses* sub titulo *de Morum & Morhorum consensu*: hinc *speciales* quidam morbi, de *individualibus* hominum moribus exacte ratione processus & decursus participant: quid quod attento observatori & a foedis præjudiciis libero animo incognitum esse haud potest, quod *mores* nonnullorum hominum cum *morientibus* consentiant: hinc sæpe melancholici pro *duro* suo *animo*, *duram* sic dictam, subeunt *mortem*, Sie haben ein hart Leben und sterben eines harten Todes: *Cholerici* juxta *præcipitem* & *impetuosam* suam indolem talem etiam vitæ finem experiuntur, Sie sterben eines schnellen und hefftigen Todes: *phlegmatici* pro *torpido* & ignavo suo animo *lento* gradu & somnolenta velut extinguuntur morte: sterben langsam und schlafend in sopore & stertore: *Sanguinei* ad *mutabilem* suum animum, facile e *minus* periculoso morbi statu in *summe perniciosum* illius gradum delabuntur, quales

les plures annotationes in *speciali* doctrinæ de Temperamentis explicatione occurrunt: suffecerit interea hoc loco brevibus *multiplicem* nexum morum cum corpore demonstrasse, hancque observationem ulteriori disquisitioni & meditationi commendasse.

§. III.

Ast ne præsens tractatio in foro *medico* sterilis, usu *reali* destituta & prout mancipia legum mechanicarum ogganniunt atque strepunt, *speculativa* & metaphysica esse existimetur, placet nunc aliquot momentis illius veram & sinceram utilitatem in medicina demonstrare: quam ob rem hæc animadversio 1) evincere adjuvat *animæ* commercium cum corpore in negotio *vitæ* ac *sanitatem* naturalem concernente, ne frivole judicetur, quod processus *motuum vitalium* in *naturali* & *præternaturali* statu, tantum per causas *corporeas* vires *materiarum* & qualitates nude & *absolute physicas* administretur atque dirigatur, insuperque *anima immaterialis* aut *otiosa* spectatrix, aut *obscura* moderatrix, aut *perniciosa* & *inimica* motuum turbatrix atque *causa confusionum*, aut cæca fortuita, stupida & infrequens *medicatrix* statuatur, quæ trivialis illorum est opinio, qui non nisi *automata* corpus humanum esse sibi persuadent, adeoque *contra* omnem *naturalem* sensum animæ jus in subditum suum corpus abnegare & destruere contendunt: 2) *præsens* meditatio *illustrat* doctrinam de *modo operandi medicamentorum*, quam illi, qui *rigorose* legibus *mechanicis* vinculati sunt, pro *essentiali* requisito *veræ* & proficue Medicinæ reputant: etenim interdum *debiles* remediorum vires, firmior ac *potentior animæ* activitas erigit & ad *salutarem* scopum dirigit, unde consideratu digna illa observatio in foro *medico* inclaruit, quod firma *fiducia* *agrotantium* in medicum & medicamenta *dimidiam* curæ partem perficiat: uti vicissim *aversatio* ægri a medico & *remediis* obvia, *opti-*

morum cœteroquin remediorum *salutarem* effectum destruit & *invertit*: 3) hæc tractatio ex *firmitate* & *rationali* fundamento instruit *solicitem* & *attentum* medicum, quomodo in *speciali* therapia pro *differentia* morum, quos antea ex *generali* temperamenti, ætatis & sexus, deinde etiam ex *speciali* educationis, diætæ, vitæ generis, nationis, familiæ, consuetudinis, hæreditariæ dispositionis &c. ratione & conditione perspectos sibi reddere debet, remedia *congrua* seligere & ordinare debeat: 4) & quoniam multum *levaminis* in *præservandis* & *curandis* morbis ab animo composito, continenti & *moderato* provenit, ita ex *præsenti* consideratione prudens artifex talem inveniet *justam* remediorum *idoneorum* relationem, quæ eandem *tranquillam* animi qualitatem *promovere* potest: 5) ex eadem disquisitione prudens medicus comprehendit illam *rationalem methodum*, qua interdum non modo *materiale* remediorum *salubres* vires ad speratum effectum adjuvare, sed & nonnunquam *sine corporeis* instrumentis *medicamentosis* ad salutarem scopum pervenire queat: 6) in *discretionem causarum morbosicarum* aut morbos sustentantium præsens tractatio multum lucis affert, unde videlicet elucescit, qui *effectus*, quæ alterationes & qui influxus in *morbis* aut *animo*, aut *corpori*, aut causis *extraneis* sive *physicis* sive *pneumaticis* adscribi debeant: 7) hæc penfitatio nobilitat etiam ingenuum medicum celebri illa notitia, qua *vires* atque limites *corporis* & causarum *mere physicarum*, deinde etiam *animæ* & inde fluentium operationum recte intelligat & prudenter applicet: 8) præservat porro hæc animadversio quælibet medicorum ingenia, ne facile in *intricatis* casibus decidendis *ultra spheram* aut *animæ* aut *corporis* exorbitent & præcipiti iudicio *supra naturales* vires accusent, adeoque firmiori iudicio *ordinarias* & *extraordinarias* animæ corporisve vires, quin tandem sic dictas *extra* aut *supra naturales* influxus & potesta-

testates agnoscant, concilient & confirment: 9) qualificat pariter hæc disquisitio ingenuum medicum, quo pro differentia *essentialium* hominis partium, *uni cuique harum* satisfaciatur, neque *pertinaciter* probatis suis remediis rem absolvere contendat, quando *animus* qualicunque aut simplicius *morali* aut sensibilius & impetuosius *pathetico* affectu resistit: 10) *conjungit* etiam hæc tractatio artem *medicam* cum celebri *Morum* doctrina, ne quisquam opinetur, quod Medicina tantum sub *dominio Physices*, tam dogmaticæ quam practicæ fluctuet & anhelet, neve etiam medici videantur esse tantum *servi corporis*, sed quo *morum* pariter *prudentem* habeant rationem, siquidem hæc *conciliatio* morum cum corporis œconomia in *omnibus hominibus* & *omni* etiam *die* institui potest & debet, ut propterea illorum, qui *ventri* tantum serviunt i. e. qui *corporum viribus omnem* tribuunt fidem atque locum, *judicium* & *odium* contra *animam* huiusque *jus in corpus* magis commiseratione & subrisione, quam ulla refutatione dignum existat: 11) hæc tractatio *in genere* confirmat dogma, quod *spiritus immaterialis* cum *subjecto materiali* communionem habere queat: etenim quis sana mente prædictus, dicat & adferat, nares & gulam *formaliter* olfacere, sapere, aut aures audire, oculum videre, ut non rudi etiam sensu comprehendat *animam rationalem* effluvia odorabilium subjectorum, contactum sapidorum, motum undulatorium aëris, fibrativum motum in aëre, luminosum &c. *mediantibus aptis* organis corporeis percipere, adeoque *verum sensum in anima* non in *corpore* esse: qualis perceptio & secundum hanc, *motuum* applicatio & directio pariter *intrinsicus* contingit, quando *remedia* operantur in *corpore*, hanc operationem *percipit anima* & *secundum* illam hæc *rationalis anima* *reliquos* suos *motus* instruit & modificat: de qua meditatione conferantur *Dn. D. Præsidis tract. de modo medicamentorum operandi in corpore vivo,*
nec

nec non *disp. de sensu vitali*, ut & *de Sensuum internorum usu in æconomia vitali*. 12) Denique hæc annotatio ipsum justum remediorum *selectum* atque *discrimen* indicat, ne indiscriminatim *absolutæ* quædam vires pro morbis tollendis *medicaminibus* adscribantur, dum remediorum *relationes* non modo ad *causas morbi materiales*, sed & ad *sensum* morbo oppressi subjecti se extendunt: ex quibus omnibus, brevi delineatione allegatis, jam facile patet, quod præsentis thematis ventilatio neque *superficialia*, neque *speculativa*, neque *transitoria*, sed *apprime practica* & multis *salutaribus* usibus idonea & proficua existat.

§. IV.

Posteaquam generali præparatione ad hujus thematis commendationem viam atque accessum paravimus, ita nunc ad *specialem* hujus observationis explicationem procedimus & hoc ordine pro *differentia* variorum *respectuum* & *diversarum causarum nexum Morum & remediorum* in veritate *facti* demonstrare volumus: Singularis, notatuque dignus itaque talis nexus occurrit in differenti hominum *Ætate*, dum *infantis* ætas valde *sensibilis*, *tenera*, sed insuper admodum *immorigera* & impatiens, cum remediis facile *alterari* & affici potest; ubi communiter illi, qui nil nisi *anatomico-physico-mechanicas* rationes proferunt, ad *debile* & *subtile* genus *nervosum* provocant, quasi vero in homine *tenerioris* texturæ & structuræ corporis non firmitas atque *robur* naturæ *comparativa* adesse possit & sæpe etiam *soleat*, ubi sacra illa anchora & refugium commune magno & evidenti corruit exemplo: hinc *sensibilitas* in *animo* & moribus *similem* communionem habet cum *corpore* cæteroquin *firmiter*, quadrato, valido & ubi genus *nervosum* *ulnis* mensurari potest: porro in hac ætate *vi* quadam obtrusa & *ingesta* *remedia*, quæ antea cum obstinata *resistentia* & multo clamore,

more, strepitu & ejulatu assumpta fuerant, brevi post
cardialgias, vomitus, sudores anxios, convulsiones &c.
causantur, quæ si cum *placida* continentia excepta fue-
rint, *salutarem* præstitissent effectum: hinc prudentiores
medici, infantes ad remediorum ingestionem *nullo* mo-
do *cogunt*, memores aut metuentes, quod facile sub tali
rigorosa coactione & animi angore & aversione convulsio-
nes concurrere soleant: ubi quidem primario culpa &
causa in *immorigero* hæret animo, attamen sub tali scena
nexus animi morosi cum *remedio* obtruso minime evile-
scit: imo *tanta* sæpe in tenellulis observatur medicamen-
torum *aversatio*, ut uno ferme temporis momento de-
glutitum remedium denuo *revomatur*: Ita vicissim in
Senibus consensus morum & remediorum aliquoties anno-
tatur: sicut enim ætas *senilis* ut plurimum *pertinax* & in
diffidentiam prona est, ita si sub *tali* animi qualitate me-
dicamenta assumuntur, tunc *non ita facile* exoptatam o-
pem afferunt, hinc necesse est, ut vel sedulo *continuentur*,
vel ut in subjectis ægrotantibus *confidentia* concilietur
sub qua oblata medicamina *promptius* meliusve ope-
rantur, cum vicissim *senum morositas* remediorum
operationi multum resistit: Præterea *provehentioris æ-*
tatis homines, *firmitiori* & *constantiori* morum qualitate præ-
diti, remediorum propinatorum *certiorem*, citiorem &
meliozem operationem experiuntur & quidem pro cir-
cumstantia reliquarum causarum *individualium* concur-
rentium: prout enim ejusmodi hominum animus magis
vigorosus est, ita etiam ex parte *propter illum* remedia *effi-*
cacius operantur, ubi tamen *aliæ* concurrentes causæ
non penitus excludendæ, hæc tamen etiam vicissim non
negligenda est, quemadmodum illi qui tantum sub iugo
Anatomes, physices & mechanices sudant, nil rectum ef-
se putant, nisi quod ipsorum iudicio & arbitrio conve-
nit, qui propterea rugosa fronte & morosa gravitate cau-
sas

fas morales omnimode respuunt & corpus pro trunco & *automato* æstimantes nil nisi causas *materiales* admittunt & declamant, aut raro vel obscure ad hunc nexum animæ cum corpore provocant: Utut enim ad perferenda quædam medicamenta *vires sufficientes* requirantur, tamen præter hæc etiam *animus idoneus* necessarius est, cujus qualitas *medicamentorum* vires *invertens*, aut *promovens* omnibus a crudis præjudiciis alienis cognita esse potest & debet: exinde etiam ex parte quoad *medicam* morborum explicationem derivari & demonstrari potest, cur *adultior* ætas *graviores* morbos facilius & *firmius* superet, dum vicissim *tenellula* ætas ob flexilem & *sensibilem* animi conditionem, frequentius sub morbis *arduis* succumbit: Hinc etiam palam est, quod infantes animo *immorigero*, perverfo & turbulento præditi non modo *citius* moriantur, sed & per *remedia*, cæteroquin *congrua*, ægrius erigi & restitui queant.

§. V.

Deinde notorius *morum* nexus cum *remediis* inclarescit pro diversitate *morum* in *individuis*, hinc contingit ut homines remedia *aversantes*, *utilia* medicamina vilipendentes, *viliora* vero magnificantes, medicamenta, cum eximio *desiderio* & spe assumentes, propter hæc *morales* qualitates, *discretos* etiam effectus medicaminum experiantur; quod paucis hoc loco exponere placet: dantur itaque homines, qui summo affectu *indiscretim* omnia remedia *aversantur*, qui quando *simplicissima* maximeque *innocentia* aliquando medicamina ingerunt, *perniciosos* inde effectus, videlicet summas angustias, vomitus, repentinæ virium prostrationes, aut spasmos, convulsiones, oppressiones pectoris, cordis palpitationes, tremores cordis & membrorum, sudores anxios, horridam obri-gescentiam extremorum &c. sicuti *Riedlinus Lin. Med. An. 1. Mens. Decembr. obs. 2. p. 414.* talem casum recenset, ubi qui-

quidam, medicamenta antea summopere *abhorrens*, in san-
nitatem cujusdam virginis ocul. 69 modica ingessit, inde
vero ferme in vitæ periculum incidit: ita porro tales *abste-*
mii vel ex solo *auditu* & *nuda relatione* de talibus remediis,
tales in suo corpore experiuntur effectus, quales alias ab
ingestis ejusmodi medicamentis provenire solent, quales
calus proposuit & recensuit *D. D. Præses in disp. de phanta-*
siæ usu, lusu & abusu in medicina: & quid *anxia* & *nausea-*
bunda imaginatio de talibus remediis ad excitandos diver-
sos & perversos effectus valeat, ferme omnibus attentis
medicis cognitum est: quamobrem quædam remedia ex
hoc titulo observationis *aperiunt* & evacuunt, ventricu-
lum invertunt, alvum movent, quæ sunt *adstringentia* aut
alterius *contrariæ* virtutis: in qualibus phænomenis diffi-
cillimum, si non ridiculum & comicum esset, causam in *nu-*
de physicis & *mechanicis* qualitatibus indagare & allegare
velle: Ita vicissim quidam homines adeo *anxie* medica-
menta *appetunt* & desiderant, ut *omnem* spem & fidem in
quælibet medicamina ponant, sicut nonnullorum subje-
ctorum mos in foro medico jam cognitus est, quæ in *le-*
vissima etiam corporis alteratione mox *medici præsentiam*
& *remediorum promiscuam* ordinationem anhelant: ar-
dent itaque tales homines sua fiducia ruuntque in medica-
menta & ab iisdem omnem atque *indubiam* opem sperant;
hinc multi etiam a tali *fervido* desiderio aliquoties spera-
tam opem impetrant, quale exemplum *Riedlinus l. c. An. 3.*
Novembr. obs. 14 p. 776 allegat: quamobrem ad *bonam* de
morbis *prognosin* interdum ferendam illa etiam pertinet
circumstantia, quando ægrotantes cum continenti aut *ap-*
petente affectu remedia assumerunt, ut propterea in tali
casu *plus* hominum *natura* operetur, quam oblata *phar-*
maca efficiant: inde etiam porro est, cur medici, qui *ægro-*
rum bonam sibi conciliarunt *confidentiam*, cum *vilioribus*
remediis *plus* acquirant & efficiant, quam alii cum *præstan-*

zioribus & melioribus vix operari & obtinere possunt: Similis casus obtingit, quando quidam ægri nimis credulo, superstizioso & imaginario animo de nonnullis vilioribus & inertioribus remediis, pomposis tamen titulis superbientibus non modo alte sentiunt, sed & magna sperant, sibi que persuadent, quod eadem remedia indubie tales effectus præstare debeant, quibus encomiis eadem luxuriant: tale specimen occurrit, quando de Margaritis, aliisque lapidibus pretiosis, nec non de Auro & Argento in foro medico creduli homines tam eximias virtutes expectant, talesque pretiosos effectus experiri credunt, quales tamen in aliis hominibus, qui de ejusmodi subjectis indifferenter sentiunt, haud occurrunt; hinc interdum nonnulli Perlarum loco, aliud terreum absorbens commune ordinant subjectum, quod secundum ægri firmiorem impressionem & majorem spem, plus nunc operatur, ac communi sua virtute alioquin efficax esse solet; ob id jam vulgus advertit, quod vilioris remedii inopinatum celebrem effectum opinio, credulitas, imaginatio promoverit; Vicissim evenit, ut alii ægrotantes, oblata remedia spernentes & pro inutilibus firma persuasione reputantes, iisdem si non contrarios, tamen nullos exoptatos & salutares effectus experiantur, ubi diffidens, abjectus, alienus, morosus & refractarius animus salutarem remedii oblatis operationem haud suffulcit, ut propterea nulli salubres inde proveniant effectus: in quibus casibus, in Praxi medica valde frequentibus, facile elucescit, quantam communionem habeant mores cum remediis.

§. VI.

Observatur porro nexus morum cum remediis pro diversitate educationis in certis subjectis adhibitæ, quamobrem interdum contingit, ut a teneris quidam homines obdurentur, quibus propterea minus selectus & discretus victus atque potus & promiscuum regimen adhibetur, quibus etiam

etiam sub *vacillante* sanitate aut nihil, aut parum, aut simplex domesticum adhibetur remedium, qui propterea non modo *firma* gaudent, sanitate, sed & sub *adversa* valetudine *facile* convalescunt, talibus hominibus eas propter accidit, ut alia *speciosa*, aut *multa* medicamina, nec non *solicita* & provida aut rigorosa regimina *agerrime* perferant, indeque *graviora* morbi *accrementsa* experiantur, dum ordinata medicamina plane *contrarios* exserunt effectus: quare tales ægri potius *abstinentia*, *patientia*, quiete & tolerantia morbosos decursus sustinent & sæpe ad firmam revertuntur sanitatem: quid quod aliquando contingit, ut talia subiecta, in ejusmodi educatione enutrita & sustentata, ne quidem in corpore *externo* communia & *mitiora* remedia perferre queant, a quorum applicatione innox ardores, rubores, pruritus, congestiones, inflammatorias comminationes, spasticas tensiones, serpiginosarum pustularum efflorescentias, inflationes, indurationes &c. experiuntur: & tales *duriores* & robustiores naturæ ab usu *vulgatorum* remediorum plus offenduntur, quæ potius respuunt, dum *suis* viribus atque methodis innixæ, morbis *subjugandis* & removendis *magis* præstant, quam per *insueta* medicamina, unde in ejusmodi personis *plus sæpe natura* (quomocunque etiam hanc acerrimis & extreme morosis probris increpant mechanici) quam medicamentum operatur; quo valet quod *Thonerus Lib. 1. obs. 19. p. 35.* elocutus est: *sæpius contingit, ut medici in declinatione morborum (ubi natura victrix) hoc vel illud medium applicent & ægri convalescant, sibi arrogare soliti salutis causam temere: & obs. 20. p. 36. dicit: fortassis ægri illi æque fuissent restituti, si non applicita, vid. aliqua remediorum specimina: Quod si porro nonnullis subiectis a teneris summa medicamentorum & aliorum subsectorum, quæ de medicamento tantum titulo participant, aversio imprimatur, tunc eadem non modo cum extremo angore*

re & fastidio *congrua* cœteroquin remedia assumunt, sed
agerrime illa perferunt, quin potius maximo conatu *ex-*
cretorio eadem prosequuntur, *meliusque* dein se gerunt,
 quando tale medicamen iterum *rejectionum* fuit: tanta non-
 nullorum hominum a teneris constat animi *mollities*, se-
 cundam quam extreme *adversam* ideam de remediis con-
 cipiunt & formant, insuperque *nomen*, *odorem*, *saporem*,
colorem, *formulam* & *quantitatem* remedii summopere a-
 versantur: Quando vicissim quidam homines *indulgenter*
 & *delicate* atque *nimis sollicite* & *scrupulose* educantur, tunc
 in iisdem *singularis* nexus morum cum remediis occurrit;
 etenim quando talibus subjectis non modo a *primis* nativi-
 tatis terminis *varia* & *multa* medicamenta ingurgitantur,
 ita eadem non modo frequentius *adversa* conflictantur va-
 letudine, sed non nisi *constantis* medicamentorum usu erigi
 & *conservari* possunt; hinc *dietetica* adminicula in talibus
 hominibus *parum* speratum effectum impetrant, quoni-
 am in iisdem desiderium & confidentia circa *artificialia* ta-
 lia versatur auxilia: unde illorum pertinax opinio & *cre-*
dulitas innotuit, qua *indies* aut *frequentius* remediis uti
 debent, si *aliquali* sanitatis gradu frui cupiunt: neque a-
 lios, quibus cum ejusmodi personis commercium inter-
 cedit, latet, quod plurimum *imaginationi*, *consuetudini* &
 indulgenti educationi tribuendum sit: ob id etiam tales
 homines sibi *persuadent*, se *infirmos* esse, si aliquando usum
 remediorum intermiserunt, firmiores vicissim & vege-
 tiores se existere opinantur, quando medicamenta in-
 gesserunt: ob id porro in talibus oculis *plurimæ* ad vita-
 lem œconomiam pertinentes *evacuationes* monitorio
pharmaceutico indigent, unde oblatum remedium levio-
 ris & lenioris virtutis facile juxta persuasionem subjecti
strenuum retentaram excretionum *successum* causatur: ex
 quibus exemplis, bene conciliatis, facile consensus mo-
 rum cum medicamentis innotescit: quo adhuc illam ob-
 serva-

servationem addimus, quod *sub educatione* nonnulli homines *peculiaribus* remediorum *speciebus* atque *formulis* ad-
suefiant, quæ si in futurum non offeruntur, sed *alia* reme-
dia, etiam præstantiora & meliora ordinantur, exoptatus
effectus *haud* consequitur, quoniam per educationem ta-
les homines singularibus & particularibus medicaminibus
addicti & adfueti sunt.

§. VII.

Multum etiam ad hunc *nexum*, qui *mores* inter &
remedia cedit, demonstrandum, contribuit respectus &
conciliatio *Hereditariæ Dispositionis*: hæc varias ad præ-
sentem tractationem spectantes prodit observationes,
dum ut plurimum a *parentibus*, qui frequentius *medica-*
mentis utuntur, infantes valde *debiles* & *valetudinarii* ge-
nerantur, quibus etiam per nativitatem *implantatus* est
appetitus remediorum, unde & illi aliquoties remedia
non modo *placidis* moribus ingerunt, dum contra *alii*
infantes *eximiam abhorrescentiam* a remediis experiuntur,
sed & *medicamenta bene perferunt* & *salutares* effectus ab
iisdem obtinent: quidquod interdum conspicitur, quo-
modo tenelluli tales infantes *avidis* faucibus medicamen-
ta ingerant, adeoque *connatum* hunc appetitum manife-
ste demonstrent: quemadmodum autem *in genere* nego-
tium *hereditariæ* communicationis *principaliter* non a cau-
sa *materiali*, sed *immateriali* & *spirituali*, videlicet *anima*
rationali provenit, hæc vero in parentibus *speciali* illa
moralis qualitate *nimirum* appetitus & confidentiæ in *remedia*
prædita fuit, hinc in natales *idem* propagatus *appetitus*
ab anima rationali dependet, insuper consensum morum
cum remediis comprobatur: Quidquod subinde ex fre-
quenti *salutari* assumptorum remediorum effectu ex
parte liquet convenientia inter animum & remedium,
dum vicissim facile a tenellulis infantibus remedia *evo-*
muntur, si cum aliquali *aversione* ingesta fuerant; neque
æque

æque *frequentior* remediorum ingestio talibus, sicuti aliis obtingit, infantibus *molestiam* creat, quia facultas *tolerandi* remedia & conversandi cum iisdem, illis infantibus *implantata* est, quid quod citius *infirmiores* tales redduntur infantes, si vel *nulla*, vel valde *pauca* illis adhibentur medicamenta; quamvis ex hac ratione cœteroquin quidem ejusmodi infantibus juxta *naturalem* judicandi & concludendi nexum & modum adeo *longa* vita & *diuturna* sanitas promitti *haud* queat: Scorsim vero per *hæreditatem* propagatur in infantes *illa* facultas, qua iterum *certainas* remediorum *species* & *formulas* *avide* appetunt & *firmiter* perferunt, ut facile attenti homines *originem insoliti* hujus appetitus invenire & indicare possint; quemadmodum matres *lactantes*, quæ *multo* remediorum usui addictæ sunt, cum lacte *medicamentoso* hunc appetitum ad *remedia* in tenellulis talibus infantibus conservare & confirmare solent: quam ob rem sub prædictis circumstantiis tales infantes *potentiora* remedia perferre possunt & cum talibus aliquando tractari debent, ac *alii* infantes *similium* qualitatum remedia *haud* tolerare possunt, sed ab *iisdem* *vehementius* afficiuntur & *offenduntur*, quoniam in prioribus jam habitus ille innatus procedendi & operandi cum remediis adest, qui in aliis deficit: an itaque in *ejusmodi* observationibus potius *animæ* & subtilium *morum*, inclinationum, appetitus, desiderii, quam *corporis* ratio habenda sit, dijudicent, qui a crassis præjudiciis liberi sunt: Neque etiam desunt exempla & specimina talium hominum, quibus per *nativitatem* & *hæreditatem* fastidium & *aversio* a medicamentis *implantata* deprehenditur: hi quotiescunque remedia *lenissima* assumunt, *pestimos* inde obtinent effectus, qui *haud* a *mala* relatione *remedii* ad *corpus*, sed ad *animam* derivari potest & debet: unde etiam facile tales homines similem *aversionem* a medicamentis in *parentibus* allegari solent: id quod non modo

modo *qualibet* remedia, sed & *certas* quasdam medicamentorum species attinet, dum *aversio* illa *hoc* aut *illud speciale* subiectum concernit: qualia varia exempla attentis observatoribus facile innotescunt, quæ passim ab assiduis authoribus allegata prostant: denique in observationibus medicis tales occurrunt casus, ubi ob eandem hæreditariæ propagationis rationem quidam homines *tantum* appetitum & *fervidum* amorem in *quædam* remedia foverunt, ut illis, velut *alimentosis* subiectis citra acceleratam *perniciem* usi sunt; quales casus passim ex authoribus colligi possunt.

§. VIII.

In hac tractatione porro respectus ineundus est *Sexus*; pro hujus differentia etiam notatu dignus consensus morum & remediorum annotari, allegari & applicari potest: & ita *Sequior* Sexus, utpote *delicatio*r, mollior, sensibilibior & in vi *imaginationis* tenacior, *manifestum* talem nexum prodit: ut plurimum enim *foeminæ qualibet* medicamina valde expavescunt & averfantur; quam ob rem eædem remedia cum *nausea* & horrore ingerunt, variaque *adversa* de iisdem sibi *imaginantur*; ob quam animi qualitatem quædam *fæminæ* medicamenta *intra os* assumpta *deglutire* *haud* possunt, sed *suffocationis* ferme metum incidunt, dum continuis *vomibundis* conatibus eadem repelluntur, ut cum summo denique *angore* rejiciuntur: aliquæ a medicamentorum talium oblatione & ingestione mox in *animi deliquia* incidunt, quæ cum *vomitu* & ejectione assumpti *remedii* terminantur: aliæ *post* remediorum talium ingestionem *gravissimam* cardialgiam, anxios frigidos sudores, palpitationem cordis, extremitatum refrigerium, torsiones & morsus ventriculi, capitis insolitos dolores, vertiginosas perturbationes &c. experiuntur, neque *prius* a talibus afflictionibus *liberantur*, donec ingurgita-

eum & detentum remedium iterum *ejectum* fuerit: hinc
 etiam contingit, ut *tali* animi statu assumpta medicami-
 na *contrarios* semper effectus edant, ut quæ *confortare*
 debent, valde *enervent*, quæ leniter *evacuare* debent, aut
excedentes evacuationes, aut pertinaces evacuationum
retentiones cum summis angustiis & spasticis periculosis
 commotionibus provocent, adeoque loco *salutaris*, po-
 tius *noxium* effectum causentur: ecquis adeo præjudi-
 ciosæ fuerit mentis, ut in explicando tali phænomeno
pravam relationem *medicaminis* ad corpus individui accu-
 sare velit, sub illo communi asylo ignorantie, quod
specialissimæ physico - mechanico - anatomicæ qualita-
 tes structuræ corporis adhuc *lateant*: & quod in ta-
 li fœmina præsens esse *possit* talis *specialissima* dispositio
 corporis, quæ oblatum medicamen perferre *nequeat*: in
 qua frivola & lepida excusatione tot paralogismi & *con-*
trarietates occurrunt, ut indignam illam habeamus, quo-
 cum enervatione ejusdem tempus perdere debeamus:
 interea in talibus casibus non fictitia, sed *notoria* est ob-
 servatio, quod in illis fœminis insignis *animi* adsit *altera-*
tio, *aversio*, *repugnantia* atque angor, qui affectus propte-
 rea *salutarem* remedii operationem *invertit* & causam
 dat, quo illud tantis *excretoriis* conatibus profligetur:
 præterea in multis fœminis *singularis* aversio certarum
specialium formularum medicamentosarum occurrit, ut v.
 g. vel nullas *pilulas* assumere queant, vel non nisi unam
 post alteram cum magno angore & mira coactione & ge-
 sticulatione ingerere debeant, quæ posthac sæpe spera-
 tos minus, quin potius *contrarios* producant effectus:
 imprimis notoria illa est fœminarum *imaginatio*, persuasio,
 credulitas & falsa opinio, quod medici sua medicamenta
 ex virulentis, aut adversis animalibus præparant, veluti
 ex araneis, bufonibus, muribus, gliribus, aut ex cadaveri-
 bus, vel naturali, vel violenta morte extinctorum homi-
 num,

num, vel ex diversis stercoraceis subjectis, ob quam ridiculam impressionem sæpe garriunt, Sie müßten die Kollaunen aus den Leibe speyen, wenn sie von dergleichen Zeug sollten einnehmen: ob hanc rationem ita moratz fæminæ medicos valde affligunt & fatigant, quo hi tandem ipsarum moribus & desideriis satisfaciant: quid quod evenit, ut, si quædam fæminæ cum *moderato* & tranquillo animi statu quoddam remedium assumerunt, *posthac* in iisdem tanta nausea & *perversa* imaginatio de ingesto medicamine excitari queat, quo tandem *vehementi* conatu & angore illud *revomant*, in quo phænomeno iterum *prærogativa* causarum physico-mechanicarum evilescit, siquidem corpus per sermocinationem & adversam relationem *immediate* offendi non potest, ni quisquam sibi persuadere vellet, quod hoc simili modo contingat, uti unius impulsæ chordæ tonus, aliam quietam chordam simili motu afficit: Et dum vicissim *masculus* sexus comparative *firmiori* continentia præditus est, ita ille in *perferendis* remediis tractabilior & in obtinendis *salutaribus* illorum operationibus faciliior & *aptior* existit, ut minus judiciose & solide ad *corporis* tantum qualitates aliqui provocent, dum sæpe mares *teneriori* corpore & genere nervoso, (quod magnum mechanicorum Idolum esse solet) præditi, plus *perferre* possint soleantque, ac *fæminæ* quædam *relative* corpore suo *firmiores* & proceriores: inde etiam fluit, quod in *masculino* sexu remedia *constantiorum* effectum habeant, cum contra in *sequiori* sexu medicamina *variis* mutationibus obnoxia sint: quæ observatio attentis medicis satis superque cognita est.

§. IX.

Palmariam etiam in præsentis thematis explicatione annotationem meretur conciliatio & observatio *Temperamenti*, in cujus indagine non modo in genere nexus *morum* cum *remediis* facile elucescit, sed & in *differentia*

illius hic consensus ulterius & clarius innotescit: Quod quodlibet Temperamentum peculiaribus præditum sit moribus, aut horum specialibus gradibus & relationibus, nec non specialissimis functionum animalium, vitalium & naturalium successibus, notissima est observatio: ita porro differt sensibilitas hominum pro Temperamentorum discrimine: differt æstimatio & appetitus rerum & objectorum, differt relatio & tractatio variorum subjectorum, adeo ut uni gratum & amicum sit, quod alteri adversum & abominabile est: hinc quidam homines de remediis bene, alii sinistre sentiunt, aliqui illa cum desiderio, alii cum fastidio usurpant, nonnulli eadem mature & sæpe, aliqui raro & sero adhibent: quidam magnam spem in eorum usum ponunt, alii indifferenti affectu de iisdem sentiunt: quales itaque sunt homines in moribus, tales sunt in relationibus ad medicamenta: id ipsum ex peculiaribus Temperamentorum speciebus eo facilius inclarescit: hinc Sanguinei temperamenti homines moribus sunt delicati, sensibiles, vitam naturalem amantes, morbos & mortem expavescentes opem & auxilium in afflictionibus anhelantes, at tamen grata & salutaria desiderantes & tales mores cum remediis exactam habent convenientiam: etenim in morbis invadentibus medicum & remedia postulant, sed præcipue talia, quæ corpus placide, blande, suaviter, grate, leniter & delicate afficiunt, quæ animum & sensus reficiunt, quæ roborant, quæ sine molestia & remissius evacuant, quæ prompte etiam operantur, ut effectus inde salutaris facile observari queat: cum ejusmodi remediis toto animo, tota fiducia, tota spe, toto voto cohærent hujus temperamenti homines: & si tantum medicus dixerit & promiserit, se talia ordinaturum medicamina, tunc sub horum usu tota erigitur natura & effectus medicamentosus tunc præstantior & expeditior est, quam si eadem remedia alia mentis qualitate assumuntur: imo interdum effectus saluta-

salutaris *anticipat* & præcurrit sufficientem *physicam* oblati remedii operationem: ob eandem Sanguineorum morum consensionem cum medicamentis evenit, ut quæcunque remedia paulo *fortius* corpus afficiunt, illa etiam facile non modo *insolitam enervationem* virium, sed & animi *angustiam* & afflictionem causentur & aliquoties tales *anxiæ* & confusi mores *legitimum* remediorum effectum *turbent*: hinc medici etiam multam *sollicitudinem* & occupationem cum talibus in *morum* negotio *flexilibus* & fugacibus ingeniis habent: ob eandem etiam *sensibilem* & operosum animæ nexum cum corpore *moralia* media sæpe *remediorum* pharmaceuticorum vices tenent, ut videlicet iterum *anima certas* morum qualitates ad *similes* effectus dirigat, quo remedia *materialia alias* applicari solent: Sicut porro *Cholericæ* homines sunt *magnarum* virium, adeoque *strenui*, rigurosi, operosi, fortes vehementes, præcipites &c. ita *propriis* viribus ut plurimum negotia, vitam naturalem concernentia, *prompte* & alacriter aggrediuntur, neque opem *alienam* aut auxilium *adventitium* facile postulant, interea remedia *fortius* corpus afficientia *ægerrime* perferunt & cum iisdem facile in *excedentes* & *perniciosas* operationes conjiciuntur: interea hujus temperamenti homines corpus habent *firmum* & robustum, quod *drastica* remedia secundum physico-mechanicum sensum *facilius* perferre posset; nihilominus *harum* qualitatum medicamina *ægre* perferunt & a remediis *temperamentis* majorem utilitatem impetrant, in quibus subjectis propterea illa *synergia naturæ* cum remediis facile elucescit: & dum ipsa natura *talium* hominum in *motus* prona est, ita porro *lenis* stimulus *sufficientem* provocat operationem, vitæ & sanitati proficuum, ut in *specialioribus* phænomenis facile morum nexus cum remediis manifestus evadat: inde etiam evenit, ut cholericæ ægrotantes *confortantia*, cordialia, cephalica, analeptica &c. æ-

grius perferant, quia in reliqua vitæ suæ conditione homines sunt *fortes* atque duri, qui lubentius *naturalibus*, quam *artefactis* & promotis viribus utuntur, hinc talia remedia nominant *ceffelhaft, weichlich, süßlicht, wiedrig* &c. proinde ob communem *animi firmitatem* & duritiem, non facile amarum, acrem, salsum &c. remediorum saporē *abhorrent*, quin falsa, acida, amara & similia *appetunt*, horumque præsentiam cum *majori* utilitate experiuntur, modo non nimium humores *commoveant*: & dum talia subiecta utplurimum *sponte* negotia sua perficiunt, ita vel *mitiora* tantum *præparantia* remedia in iisdem ad *promovendas* salutare *excretiones* satisfaciunt: *Melancholici* temperamenti homines quod attinet, tunc hi quidem *frequenter* valetudinarii existunt, attamen in *omnibus* suis negotiis *minus* delicati & sensibiles, sed *duri* & *pertinaces* atque *obstinati*, qui sicut in *moribus duris* mediis corrigendi sunt, ita quoad *corpus* fortioribus, aut efficacioribus utplurimum remediis tractari debent: hinc mores illorum *duriores leniora* & leviora medicamina *haud* facile admittunt; sicut porro ipsorum *animus austerus*, *gravis*, *morosus*, *acerbus*, minusve placidus est, ita remedia *similibus* qualitatibus & saporibus prædita appetit, quæ pariter *meliores* edunt effectum, quam *benignioris* qualitatis medicamina: sicut præterea *melancholici* magis *tristes* sunt, quam *alacres* & *jucundi*, ita melius perferunt medicamenta *motus cohibentia*, quam *excitantia*: sicut talia subiecta in moralibus nimias *retentiones* & *coacervationes* bonorum suorum cum animi tranquillitate fovēt, ita in vitalibus circumstantiis subiecta quæ *evacuationes* magis *coercent comparative* paulo facilius tolerant, quam quæ *evacuationes largas* & *frequentes* provocant: hinc ab *efficacioribus* sudoriferis & purgantibus &c. valde enervantur: *Phlegmatici* denique ob communem *morum torporem* & *abjectionem*, *similem* relationem ad
reme-

remedia produnt: nam sicut illi ad objecta *nude moralia* & idealia *parum* attenti, vigiles & prони sunt, quin potius *potentius excitari*, impelli & stimulari debent, ita *idem* contingit in commercio animæ cum corpore & medicamine, siquidem *leniora* & temperatiora remedia aut *nihil* aut *parum* in iisdem operantur, ut propterea in cura illorum *fortioribus* opus sit: hinc *repetitus* talium medicamentorum usus *tandem* ad *salutarem* metam pertingit, uti *talium* hominum mores *frequenter* & *iteratis* vicibus excitari debent. Ex hac brevi delineatione facile quoad fundamenta liquet, quam evidens & eminens in temperamenti consideratione nexus inter mores & remedia contingat & intercedat.

§. X.

Quod hætenus per *varias* disquisitiones, observationes & applicationes probavimus, id etiam in *Personalis Sensibilitatis* conciliatione demonstrare & in eadem *nexum morum* cum *remediis* confirmare possumus: Quamvis vero hætenus *passim* hujus circumstantiæ mentionem iniecerimus, tamen hujus *principalis* qualitatıs hoc ordine *peculiarem* considerationem proponimus: hæc *Personalis Sensibilitas* discrepat secundum *individua* & *gradus*; quamobrem aliqui sensibiles homines *tota* sua natura remediorum usum *abhorrescunt* & sub varia *anxia* persuasione & repræsentatione expavescunt, vel quasi ille, qui remediis uti debet aut vult, *mortis* periculo se exponat, vel quasi *remedia* ex *sordidis* & adversis subjectis præparentur &c. hinc sub qualicunque *meliori* explicatione adhibita in talibus subjectis semel conceptum *præjudicium* aut fomentata & enutrita nausea & aversio *leniri* & mitigari *haud* potest: ob hanc rationem *optima* remedia *contrarium*, si non pessimum sæpe proferunt effectum: ut propterea etiam talia subjecta in *lenioribus* & mitioribus morbis gravioribus & *pervi-*

periculosis successibus & decursibus obnoxia reddantur: nonnullorum subjectorum *tanta* est sensibilitas, ut etiam in *dieteticorum* usu facile affici soleant, quare tam in *quantitate*, quam in *qualitate* exactum modum servare debent, ni a *levi* modi ac ordinis transgressione in varias *afflictiones* incidant: ob hanc rationem ab oblatis medicamentis *lenioris* efficaciae & *facile* & *valde* commoveri possunt, ut propterea talem subjectorum *Sensibilitatem* medici *judiciose* explorare & tractare debeant: etenim interdum *tales* homines, licet *adultiores*, cum *quantitate* medicamenti, pro *infantili* ætate destinata, *satis* potenter affici solent, ut ipsi dein artifices *singularem* talem teneritudinem mirerentur: neque propterea illi, qui *hanc* observationem *negligunt* aut spernunt, ulla *iusta* excusatione se tueri & defendere possunt, quando interdum cum medicamenti cujusdam haud copiosa quantitate, sed mediocri dosi, tamen prodigos enormes & *perniciosos* effectus causantur: hæc *singularis* vero sensibilitas, ut disserte & solide *Excell. D. D. Stablius* in *disp. de teneris agris* probavit, non in *nude* *physicis* & corporis qualitatibus hæret, sed potius in *animo* & *moribus* fundata est, quoniam non raro in corpore *extenso*, *firmitate* & *quadrato* tam *delicata* Sensibilitas, quæ propterea *non* corporis, sed *animi* est, interdum apprehenditur; unde iterum observatori a vanis præjudiciis libero, manifestum esse potest, quod quoad *hunc* respectum *eximia* communio inter mores & remedia intercedat: observatur porro *particularis* Sensibilitas quoad *nonnullas* regiones & partes corporis, unde aliqui homines organis *gustus* & *olfactus* valde sunt *delicati* & cum iisdem *diversa* remedia *subtilissime* & exactissime percipiunt & secundum hanc perceptionem varias *alterationes* patiuntur: ob id quidam ex *odore* medicaminis, quem *speciali* sensibilitate *adversantur*, mox capitis dolores, vertiginosas per-
turba-

turbationes &c. aliqui ex *gastu* strangulatorias faucium constrictiones, insolitos ptyalismos &c. experiuntur: nonnulli in *ventriculo* perquam sunt delicati & in eodem facile cum *mitioribus* offenduntur medicamentis, ut cardialgiæ, inflationes, torsiones, singultuosæ comminationes, lipothymicæ angustationes, ructus, nausea, flatulentia, conatus vomendi, sudores frigidi, dolor sinistri hypochondrii, dyspnœa, cordis angor, tremor, palpitation, capitis dolor, temulenta & vertiginosa afflictio, insolita ariditas faucium, oculorum pressoria inflatio, tinnitus aurium, tandem vomitus consequantur: alii in *intestino-rum* tractu perquam sunt sensibiles, quamobrem remedia eo pervenientia tormina, flatulentiam, alvi fluxus, tenesmus, inflationem abdominis, spasmos hypochondriacos & hystericos, retentionem urinæ &c. causantur: in aliquibus subjectis, quæ in *viis urinariis* nimium sensibilia sunt, remedia has vias quadantenus afficientia, consequuntur spasmi renum vel vesicæ urinariæ, nec non dolores connexi, ardor urinæ, stranguria, dysuria, ischuria &c. quæ singulæ observationes hunc nexum morum cum remediis, quoad *differentem* hominum *sensibilitatem* comprobant: eandem animadversionem confirmant etiam phænomena *contraria*, quando quidam homines in genere *durioris* sunt indolis, adeoque *plus* perferre possunt; ubi iterum causa non in *fibris nerveis firmioribus* & densioribus hæret, alias Westphali, Batavi, Frisii, Pomerani, Porussi, Dani, Sueci, Norwegi, Scani, Russi, Litthuani, Curoni, Poloni, Tartari, Turcæ &c. qui quoad *corpus relative* in multis individuis *non omnes* fibris robustis & *corpore firmo*, denso, spisso, valido præditi sunt, minus perferre deberent, quam homines *delicatio-rum* nationum corpore tali procero & *quadrato* instructi; quod tamen contra apertam militat experientiam: hinc formulis

E lis

lis & genuina ratio non in corpore, sed in animo hæret & cum *diversis* moribus cohæret: inde etiam est, cur varii homines *potentioribus* remediis affici debeant: hinc innouere illæ formulæ, man sollte die Arzeneey etwas stärker einrichten, dann Sie wären harter Natur und nicht leicht zu bewegen.

§. XI.

Hæc annotatio ducit nos, ad cohærentem *aliā* observationem, quæ *presentis* tituli nervum *illustrat* & confirmat, videlicet quod pro differentia *Nationum* nexus varius *morum* cum *remediis* illucescat: *illæ* enim gentes, quæ pro *nationis* situ aut climate, solo, diætâ, regimine, laboribus, cultu, educatione in *duriori* vitæ genere degunt, *plus* etiam perferre possunt & tamen habent *nervos* & *tendines* non *osseos*, ferreos, marmoreos, adamantinos, siliceos, sed *sicuti* *alius* homo: quid itaque multum strenui mechanici de *aliâ* corporis textura & structura speculantur? quam ex præjudicio aut cæco amore in suas opiniones credunt & supponunt, sed neque sciunt, neque demonstrant: pro tali *firmitate* atque robore animi & morum, etiam medicamenta *fortiora* melius conferunt indeque effectus *præstantiores* & expedite salubres oriuntur, neque facile excedentes commotiones consequuntur, cum contra *leniora* non tam *nihil* operentur, quam potius ejusmodi homines *angant*, offendant & contrariis effectibus turbent: æque ac homines *duræ* & crassæ diætæ, per *nationis* rationem addicti *molliorem* ac deliciariorum *agerime* perferunt; imo ab hac ad *vitæ periculum* usque offenduntur: *simile* quid cum *remediis* in talibus subjectis contingit: sicut ut plurimum *medicamenta* in *relatione* ad subjecta & causam morbi *imbecilliora* oblata *sinistram* operationem habere solent: neque solum tale *robur* in *interno corpore* in nonnullis nationibus deprehenditur, sed &

in

in *externo* habitu & ambitu corporis idem reperitur, quando in *perpeffis* frequentioribus *læfionibus* *facilem* harum *reparationem* experiuntur, in tali casu vel *nulla*, vel *pauca*, vel *levia* satisfaciant medicamina, dum *ipsa natura* in ejusmodi necessitate *sponte* suo officio fungitur, ut nullo auxilio *artificiali specioso & potenti* indigeat: nam in hac circumstantia *duriores* tales nationes cum *brutis* animalibus habent *aliquid* commune, quæ *interne fortiora* perferunt medicamina, in *externis læfionibus* vel *sponte facile* convalescunt, vel *lenioribus* obtemperant auxiliis, vel *duriores* etiam externas tractationes non *admodum finifre* perferunt & superant: Neque porro in hujus thematic deductione oblivioni tradenda est ratio *Consuetudinis*, in cujus evolutione iterum nexus morum cum remediis facile demonstrari potest: etenim si sub *dietetico* usu quidam homines nonnullas *medicamentosas* species *frequentius* usurpant, tunc contingit, ut in *casu necessitatis* morbofo, *similia* subjecta medicamentosa præter *communem & consuetum effectum*, *nullum specialem*, morbiicæ causæ & circumstantiæ *respondentem*, exhibeant, quia talibus substantiis jam *adsueta* est hominis individui natura: notorium hujus observationis specimen & testimonium occurrit, quando *indies* quidam homines *vino*, aut *nervinis* utuntur subjectis, tunc illa *minime tantum* in morbis præstant usum, qualem exferunt *extra hanc consuetudinem* in *aliis* subjectis: simile quid contingit in subjectis, quæ *frequentius* purgantibus, V. Sni- bus, cordialibus, cephalicis &c. utuntur, in quibus tandem talia medicamina adeo *familiaria* evadunt, ut cum tempore non modo *nullum* amplius utilem effectum, sed plane quandoque *contrarium* perficiant; in qua circumstantia *convenientia* intercedit cum nonnullis phænomenis, quæ ex *crebro* usu nonnunquam *nauseam* & fastidium

faceffunt: & hæc confuetudo reddit aliquando naturas hominum erga remedia velut *infenfibiles*: hinc varii homines cum *frequent*i remediorum ufu fe magis *deffruunt*, enervant & in talem ftatum conjiciunt, ut poftulante *neceffitate* ordinata medicamenta *nihil levaminis* & utilitatis afferant: quid quod accidit interdum, ut homines quidam certis fubjectis *fine ullo damno* adfuefcant, quæ in *aliis* eminentes alterationes & *nocumenta* caufantur, velut funt *vittrivori*, *tabacum* aliaque *narcotica* cum voluptate *comedentes*, qualia exempla varia paffim occurrunt: eadem confuetudo feffe extendit ad *fapida* & *olida*, unde quidam homines majori delectatione *fuaveolentia*, alii *graveolentia*, nonnulli *fætidiffima* fubjecta perferunt: in qua confideratione ex multis aliis (quia quidam non bene tolerant allegata, fed contra illa proteffantur & ftomachantur, quo fuas merces atque poma Sodomitica, extus fpeciofa, intus cinerea & fterilia, facilius ad forum & theatrum deferre queant) commendamus conciliationem *Casp. Rejefii in Camp. Elyf. qv. 93.* fi quidem hætenus *multa* Doctorum & obfervationum fuffragia proferre potuiffemus, ni *amplitudo* thematis nobis fuccinctum terminum commendaverit: Quod vero in hac ratione Confuetudinis *morum tenor* prævaleat, facile iterum perfpicacia ingenia agnofcere poffunt, dum nulla *folida* & fobria ratio produci poteft, quæ hos effectus *corporis* qualitatibus tribuere queat: *Conformitas* enim, quæ intercedit inter *Confuetudinis* rationem & qualitatem in *moralibus* & in *vitalibus* adeoque *præfentem* translationem concernentibus circumftantiis, militat potius pro *noft*ra adfertione; Ut viciffim in *aliena* & alia explicatione non nifi cœca *præfuppofita* occurrant, quali vide licet fubjecta quædam *materialia* medicamentofa *aliam* corpori concilient *qualitatem* crebriori fuo ufu, ut propter

pter hanc *fiſtitiam* novam corporis conditionem; novi etiam eveniant effectus: ſed quis tales narratiunculas, ſi non fabulas, levi ſtudio refellere poterit; quam ob rem in brevi hujus conſiderationis commendatione acquieſcimus.

§. XII.

Principale momentum, ad illuſtrandam præſentem conſiderationem idoneum, ſubminiſtrat obſervatio *Autocratia Naturæ*, ſive *ſpontanea morborum curationis*: in hac iterum facile nexus morum & remediorum demonſtrari poteſt: etenim in communi hominum choro & numero multa occurrunt ſubjecta, quæ in *morbosis* in & externis afflictionibus facile *convaleſcunt*; de quibus vulgo dicunt, Daß ſie eine gute, geſunde und heilſame Natur haben: quid quod interdum in *nonnullis* ſubjectis *præcipitantia* in negotio ſanationis invenitur, unde in læſionibus *externis* inflicta violatio non modo *repente* coaleſcit, ſed & ſubito *luxurians* caro excreſcit, ut interdum artifices tam præcocem conſolidationem impedire & retardare debeant: quod vero talis actus *ſpontaneæ* ſanationis *natura* hominis & *nulla materialis* cauſa ſit *Excell. D. D. Stablius & D. D. Præſes* multis locis demonſtrarunt, neque ulla ſobria & ſolida ratione confirmari poteſt, quod corpus in *materialibus* ſuis qualitatibus læſum, ſe ipſum reſtituere & *redintegrare* queat; ſiquidem in *toto* foro mechanico *nullus* parallelismus hujus *poſtulat* occurrit: Si itaque *ſponte & prompte* natura corporis *incommodis* & alterationibus medetur, tunc ſæpe medicamenti opus *haud* habet, unde oblata talia *medicamina* interdum *reſpuit* eorumque applicationem uſumque *egre* fert, qualis *analogia* evidens in *moralibus* negotiis occurrit, quando quidam homines non modo *ſufficientem* alacritatem, ſed & capacita-
gotia

gotia habent, qui dein maxima *adversione* minus *necessariam* oblatam opitulationem perferunt & propterea in *spontanea* sua activitate valde *offenduntur*: occurrit itaque in talibus subjectis in nonnullis casibus nexus morum cum remediis quoad *contrarium* effectum, siquidem *talía* remedia, quæ in *eiusmodi* casibus alioquin *exoptatam* opem afferre solent, in *predictis* subjectis *contrarios* potius effectus præbent, dum eadem *vomibundis* moliminibus profligantur, iterumque a corpore removentur, ut sua officia *proposita sponte liberius* perpetrare & administrare queat eadem natura: hinc interdum inter *naturam* & *remedium* similis pugna, ac inter *morbum* & *naturam* intercedit, id quod fusius *D. D. Praeses* peculiari dissertatione explicavit & comprobavit: habet itaque in tali casu *natura* illud commercium cum *remedio*, quod hoc diu haud toleret, id quod tanto facilius & certius contingit, quando oblatum quoddam medicamentum naturam in suo corpore *sensibilius* afficit, aut quando remedium quoddam *cause* morbificæ *plane non* quadrat, vel quando paulo *sæpius* offertur, ut illud dein tanto citius *nauseam* atque fastidium procreet, quam ob rem propinatum tale medicamentum *sursum* & *deorsum* a natura ad celerem *exitum* & abitum profligatur: quando itaque illud remedium *exturbatum* fuit, tunc *præviæ insolitæ* afflictiones acquiescunt & morbus in *justo* suo tramite, processu & decursu continuat: ex ejusdem *spontaneæ* sanationis tenore fuit insuper, quod aliquando *lenissima* remedia *stupendos* proferant effectus, ut ipsi medici dein in *admirationem* ducant, cur tam *lene* remedium tam *celebres* & *inopinatos* præstiterit effectus, aut cur tam *cito* & *simul* & *semel* tam *ominosum* & *periculosum* initium atque accessum morbi subjugaverit: in quali casu & statu *non remedi* sed *naturæ* humanæ virtus concelebranda est, quæ *lene* ac
simplex

simplex tale remedium ad tam *proficuos* effectus applicavit & *direxit*: similis consensus inter tales mores naturæ alacris & sensibilis, corporis sui integritatem curæ habentis & remedia occurrit, quando in *prodiga* Hæmorrhagiarum, mictione cruenta, fluxione uterina & hæmorrhoidali *modo per os* ingestum remedium *cito* in loco *affecto speratum* præstat effectum, ut vana & inanis esset credulitas atque *persuasio*, quasi tam subito oblatum remedium ad *talem* partem pervenerit; interim cito activa natura cum tali medicamine *consentit*, ut ipsa, non hoc in *affecta* parte *strictiorum* effectum perficiat: non minus eadem naturæ *alacritas* atque propensio ad *Sanandos* morbos cum remediis cohæret in diversis *temperamentis*, videlicet *cholericis* & *sanguineis*, in quibus remediorum operatio *expeditior* esse solet, ac in aliis, sicut in illis *mores* sunt expeditiores & alacriores, ut ita iterum in hac consideratione notatu dignus ille nexus, quem hæcenus probavimus, facile ab attentis ingeniis agnosci queat.

§. XIII.

Superfunt adhuc *plura* talia momenta & tales fontes, ex quibus præsentis thematis *certitudinem* confirmare & *veritatem* demonstrare possumus: quo referimus quod in *Idiosyncrasia* & *Antipathia* specialis talis communio occurrat: quando videlicet quidam homines *certa* subiecta medicamentosa tota natura, adeoque *extreme aversantur*, ubi contingit, ut *moralis* in talibus casibus observetur *aversio*, quæ ut plurimum cum *sensibilibus* talium subiectorum *medicamentosorum* qualitatibus, videl. sapore, odore, colore, conjuncta est: & quando iterum in *tali* phænomeno mechanici ad *certam* corporis dispositionem, tanquam ad *commune asylum*, confugiunt, tunc hæc, quæ adhuc *imaginaria*, supposita & *abscondita* est, nondum for-

nam hujus processus absolvit, siquidem *subtilis* illa perceptio & connexa aversio non a *corporis* structura variante supposita, sed ab *anima rationali* & peculiari illius *moralis* qualitate provenit, quæ tale subjectum velut *alienum* & *adversum* æstimat: haud quidem necessitas postulat, ut *factum* ejusque *veritatem* speciali explicatione probemus, quod nimirum variis observationibus in foro medico manifestum sit, dari tales *antipathias* & *sympathias*, *idiosyncrasias*, aut *specialissimos* appetitus & tales etiam aversiones a subjectis medicamentosis: quicumque itaque attente inquirat, ubi grata aut adversa perceptio in tali casu *incipiat*, unde porro alteratio corpori communicata *proveniat* & ubi denique tota hæc comœdia aut tragoedia *desinat*, ille facile *verum fontem* citra præjudicium invenire potest: Deinde præsens thema confirmat *respectus Consensus* & *dissensus* specialis *animi* ægrotorum cum *medicis* & *medicamentis*: inde enim aperte innotescit, quod tales *animi* mores *remediorum* salutarem usum *adjuvare* aut *perturbare* queant: ob id interdum ridiculi illi casus in foro practico occurrunt, ubi ægri ab *imperitis* medicis & *perversis* ac incongruis remediis opem & *salutem* impetrant, in quæ subjecta illi toto affectu & tenaci propensione inclinarunt; hinc quidam febricitantes a brassica muriatica, hælecibus, piscibus & carnibus induratis, sarciminibus &c. *auxilium* ad vota sua atque *confidentiam* impetrant: in qualibus casibus aperto testimonio inclarescit, quod *tenacissimus* animi affectus talibus remediis adhibendis indeque indubiam opem impetrandis addictus fuerit: id quod etiam in *opposito*, opposita contingit ratione & efficacia, quando *innocentia*, utilia, secura, selecta, congrua & probata in quibusdam casibus ordinantur remedia, de quibus æger plane *sinistre* judicat, adeoque in assumptione

ne & spe *dissensum* suum prodit, unde talia remedia aut *nihil*, aut *parum*, aut *sinistre* operantur, non *per se*, non ex *nude physica* relatione ad corpus, sed ex illo nexu generali *morum* animi cum *remediis*: Aliquando etiam accidit, ut *mores in morbis* mutantur, sub qua *singulari* variatione iterum novum argumentum inclarescit, quo *morum* nexum cum *remediis* confirmare possumus: etenim quando quidam homines *sub morbis diuturnis morosi*, impatientes, refractarii, obstinati, indignabundi, &c. evadunt, dum *antea tractabiles*, mites, molles, leues, tranquillii &c. fuerant, tunc sane eo minus ordinata congrua *remedia exoptatum* effectum præstant, quæ potius aut *confuse* & *perversæ*, aut *sinistræ*, aut *inconstanter*, aut *segniter* operantur, licet *antea eadem* medicamenta in *eodem* subiecto, antequam *hi mores* locum occuparunt, *longe alium* ediderint effectum: idem contingit in *contrario relativo* effectu, quando homines in statu *sanitatis robusti* arduis & *duris* occupationibus dediti, immorigeri, tenaces &c. sub morbis *flexiles*, placati, quieti, obtemperantes, contenti &c. evadunt & nunc sub talibus moribus *lenioribus* & simplicioribus remediis *facile* affici possunt, qui dum animo molliores redditi sunt, ita similem relationem ad objecta *intrinsecus* corpori oblata, videlicet medicamenta, exserunt: Et quid denique dicamus de nexu *morum subtiliter* & *præcociter* excitatorum, quando *singularia* remedia, in *specialibus* casibus propinata sunt: ita enim iterum in observatione medico-practica luculentum est, quod *diversa narcotica* & *venena*, varia *insomnia*, *deliramenta*, phantasmata, aut *mentis* variæ mutationes sequantur: in quibus effectibus iterum *animi* & *remediorum specialis* occurrit consensio: ubi porro irritum iudicium esset, quando *materialibus* talibus subie-

Etis hanc virtutem tribuere malleamus, quasi *effective* ani-
 mum mutent, dum contra *anima active* diversos *mores*
 pro diversa subjectorum *physicorum* oblatione, concii-
 liatione & *assimatione* concipit & exercet, prout homi-
 nem voluptuosum, ambitiosum, avarum *ab extra* et-
 iam objecta *afficiunt*, haud vero affectum mentis *effi-*
ciunt: Simile phænomenon occurrit in *hydrophobis*, qui
 remedia aquea, liquida, humida &c. extreme fugiunt,
 in quibus iterum *delira* averfio a talibus medicamini-
 bus occurrit: & quando hoc loco in rationem hujus
 nexus dissentientis intropicere haud cogitamus, suf-
 ficere tamen pro nostro scopo potest, quod in hoc
 casu etiam *consensum* morum fugæ & *aversionis* ab aqua
 & remediis humidis demonstrare, adeoque præsens
 thema multis modis & argumentis confirmare quea-
 mus: Et quid dicamus de illo morum & remediorum
 nexu, quando quidam medici vel *nimia* & *confusanea*
 medicamentorum propinatione, vel *diuturna unius*
ejusdemque remedii oblatione tantam in ægro concii-
 tant a medicamentis *nauseam*, ut illi non modo *hæte-*
nus adhibita medicamina perferre *nequeant*, sed & *alia*
porro respuant: Quæ singula *momenta*, brevi comme-
 moratione hætenus allegata nostri thematis *nervum* &
tenorem, *veritatem* & *firmitatem* confirmare poterunt;
 ut propterea in *fundamentali* hujus observationis com-
 mendatione acquiescamus, reliquam vero *specialem*
 deductionem exercitatis & attentis ingeniis commen-
 demus.

§. XIV.

Ultimo denique loco ex hætenus tractatis non-
 nulla *Porismata Practica* elicere & ad *realem* usum in
 foro *medico clinico* applicare volumus: Ante omnia mul-
 tum

cum in *Praxi* medica juvat, ut prudenti sollicitudine artifex in *ordinandis* remediis rationem habeat omnium haftenus recensitorum *momentorum* & respectum, quo *salutares* effectus & successus promovere, *sinistros* vero ex *certo* & stabili quodam fundamento avertere queat; & dum secundum haftenus propositam explicationem *anima* frequens & eximium *commercium* cum *medicamentis* habet, ita magna cura eo allaborandum est, ne *talia* unquam ordinentur medicamina, quæ cum *detrimeto* corporis a *contranitente* anima contrarios & *sinistros* effectus edunt: Quamobrem *judiciosi* medici officium est, ut pro *diversa* *salutari* naturæ aut animæ operatione in œconomia corporis *congrua* ordinet remedia, ne *empirico* modo in nudis consultationibus confarcinandis & confuso modo remediis variis commendandis operam impendat: In quocunque itaque casu & statu medicus *talia* remedia præscribere potest, quæ *animam* ad *continentiam*, moderamen, patientiam *moralem*, *lenitatem*, *ordinatum* successum &c. disponere possunt, illa sedulo adhibeantur studio: Quando porro ullo *seculo* & efficaci remedio animæ *immorigera*, morosa, refractaria, inquieta, inconstans, præceps, diffidens, impatiens, confusa, audax &c. qualitas & indoles complacari, *mitigari* & in *ordinem* congruum converti potest, tunc talem occasionem & indicationem prudens medicus nunquam negligat, sed potius aliis occupationibus præferat: Et dum *quedam* remedia *nonnullis* immoderatis moribus *leniendis* & quietandis inserviunt, ita *prudentis* medici officium est, ut huic etiam negotio operam det, quando observat, quod *immorigera* talis indoles *reliquæ* tractationi medicæ *eximiam offensam* dare possit: haud vero ita *malis* moribus indulgeat, ut principali morbi causæ eximium de-

trimentum concilietur, v. g. si ægri *dulcia* valde, aut *acida appetunt* & morbus præsens aut biliosus aut pectoris affectus est, in quo talia remedia pro conditione illorum morborum facile *noxam* afferre possunt, tunc potius ab ejusmodi subjectis medicamentosis *abstinendum* est: nunquam porro medicus ægro aliquod remedium *obtrudat*, quod ipsi *ullo modo* valde *adversum* est, sed in variis circumstantiis & qualitatibus se *patienti* suo *accommodet*, aut quæ aliquo gradu *nauseabunda* sunt subjecta medicamentosa, illa & in dosi *refracta* & minori *repetitione* adhibeat, interea semper alia *magis accepta* subordinet: quæcunque subjecta in *sensibili* relatione & *consensione* morum cum remediis stant, illa sollicitus artifex cum *lenioribus* & temperatioribus tractet remediis, ne mores *offendantur* & salubres effectus *pervertantur*: quo magis mores erga remedia *sensibiles* & *delicati* sunt, eo minus præstat *splendide artificiosa* aut *miscellanea* remedia ordinare, sed potius *simplicia* præscribere convenit, aut per *dietetica* salutares effectus prosequi expedit: tanto magis prudens medicus studeat, ne in morbis *præcipitis* decursus cum remediis *mores* offendat, quia inde aut *irreparabile* damnum, aut *præceps funestus* provocatur eventus: cæveat porro artifex, ne *flexiles* & moderatos mores, *rigoroso*, moroso & confuso remediorum usu turbet, quoniam *tractabilis* & morigera ægrorum natura *perversis* talibus medicationibus *valde* offendi & in *contrariam* qualitatem conjici potest: quotiescunque porro peritus & hujus observationis gnarus medicus deprehendit, quod continentes & *moderati* mores *spontaneam* morbi curationem promoveant, toties ipse *magis moralibus*, quam *physicis* auxiliis *salutarem* morbi decursum sublevet & adjuvet: quando mores per *hæreditatem* propagati *tenacius*
sum

cum remediis cohærent, tunc iterum regulæ prudentiæ medicæ requirunt, valde *circumspecte* talia subiecta cum *medicamentis* tractare, quoniam tanto *facilius* ejusmodi mores *alterari* & ad contrarios successus disponi possunt: Mores subiectorum per *insolitas* causas *immutati*, veluti per *philtira*, *venena*, *morbos periculosos*, *diuturnos*, *contumaces*, *complicatos*, *imaginarios*, prægressas *malas* medicationes, causis *refractariis* morbosas, velut *viscerum infarctus*, *stagnationes sanguinis*, *polypus*, *animi curas & ærumnas* &c. &c. semper per remedia *selectiora* & *temperatiora* tractari & dirigi debent, ni illi morbi vel in *contumaciorem* statum conjiciantur, vel in *functum* exitum præcipitentur: in quibuscunque subiectis mores *teneri*, *sensibiles* & *flexiles* sunt, in illis *multitudo* remedium, *variatio* methodorum & *tentamen* aut applicatio *dubiorum* experimentorum valde nocet: *nunquam salubre* & consultum est in ullo affectu *absolute* rigoroſe & promiscue mores *contrariis* remediis afficere, unde communiter *peſſimi* proveniunt effectus: nihil unquam medicus suscipiat, quo cum remediis moribus *indulgere* gestit, & simul aut *ordinariis*, aut *extraordinariis*, *necessariis* & *salutaribus* excretionibus præjudicat, sed potius *hasce* omni occasione suis consiliis & auxiliis *allevet* & ad exoptatum finem dirigat: in promovenda *justa relatione* remedium ad mores omnem circumspectionem attentus medicus adhibeat, ne *narcotica* ordinet, quæ potius ad *confusiones* morum ut plurimum contribuunt: & quo pro *salutari*, suo scopo *prudens* medicus hanc *congruam* morum & remedium connexionem faciliſet, multum juvat, si *moralis* medicina prius mores præparentur & a connexis præjudiciis aut falsis opinionibus liberentur: quando per

prægressas *malas* medicationes *justa* morum & remediorum *harmonia* turbata fuit, tunc in hoc statu nulla *potentius* operantia ordinentur remedia, quæ *communiter* in ejusmodi circumstantia *perniciosum* effectum exferunt, hinc potius *regulæ moralitatis* observentur, quia in talibus ægrotantium & ægrotationum qualitatibus etiam *Morum* ratio habenda erit: inde liquet quod *Medicus* suo officio *non nude* circa corpus versetur, sed quod in *multis* respectibus, casibus & occasionibus cum *anima* hominis occupationem & meditationem suam instituire debeat: hanc enim si negligentius tractat, facile in *præjudiciosam* & *empiricam* artis medicæ exercitationem incidit: & uti hætenus prolatae demonstrationes non *fictitiæ*, sed *reales* & ex ipsa *experientia* & *observatione* petitiæ sunt, ita tanto *major* illis tribuenda est *fides*, quo *salutaribus* monitis & conclusis, ex iisdem observationibus fluentibus, obtemperemus: sæpe enim in medicina contingit, quod Christus de Pharisæis eloquitur, quod deciment mentham, anethum & euminum, graviora tamen legis relinquant: ubi in foro medico sæpe *primaria* sollicitudo versatur circa *remedia splendida* & *speciosa* conquirenda, circa illorum *curiosum* modum operandi, circa *nitidam* illorum præparationem circa *curiosam* theoremata & tamen sæpe negliguntur quæ *proxime* ad hominem pertinent & aliena undique, prout multorum perversus mos est, corraduntur: hinc vires nostras tentavimus & probavimus, quo ejusmodi nævo quadantenus medellam aliquam conciliare queamus: Abrumpimus itaque nostram disquisitionem, ne in longius excrescat institutum nostrum, sperantes, quod nostro officio satisfecerimus: DEO nunc tribuendæ sunt laudes, quod
in

in subtili hoc themate commendando & explicando
nobis clementia sua adesse voluerit, cujus benignissi-
mum auxilium atque directorium porro devotissimis
precamur votis, quo in eodem omnium nostrarum a-
ctionum saluberrimum consistat initium & ex-
optatus acquiescat

F I N I S.



8 1 4 1 7